

AN 35 / vii.

Donné (6)

ALMA CONGREGATIO
VIRGINIS ANNUNTIATÆ
In Archiepiscopali Societatis JESU
Collegio Jaurini
Erecta & Confirmata
Pro Xenio Anni Jubilæi
M. D. C. C.
SODALIBUS SUIS
distribuit.



Tyrnavia, Typis Academicis, per
Joan. Andr. Hörmann.

110

BREVIS MODUS
Certum Vitæ Statum pru-
denter, & ut Christiano par
est, eligendi,

Quem

Piâ Munificentia
ILLUSTRISSIMI AC REVEREN-
DISSIMI DOMINI,
DOMINI

ANDREÆ
MATUSEK,

EPISCOPI SCOPIENSIS,
Cathedralis Ecclesiæ Jaurinen-
sis Præpositi Majoris, & Canonici,
Custodis Albenis, Libere Regiæque Civi-
tatis Soproniensis Beneficiati, Sacræ Cæ-
sareæ Regiæque Majestatis Consiliarij,
nec non Serenissimi ac Reverendissimi
Domini Domini Saxonix Ducis Episcopi
Jaurinensis in spiritualibus Genera-
lis Auditoris, & Vica-
rij, &c &c.

ASSISTENTIS SUI AC PATRO-
NI GRATIOSISSIMI,

ALMA

✠ (✠

I



BREVIS MODUS
Certum vitæ statum pruden-
ter, & ut Christiano par est,
eligendi.

§. 1. *Quanti momenti sit hæc deli-
beratio?*



Riplex est vitæ status in
Ecclesia Christiana, quo-
rum aliquis necessariò u-
nicuique est deligendus:
Secularis, Ecclesiasticus,
Religiosus. Inter Seculares quoque
alius conjugalem vitam, alius cœli-
bem, militiam aut mercaturam ali-
us, alius aliud vitæ genus amplecti-
tur; ac pariter inter Religiosos u-
nus uni, alter alteri sacræ familiæ,
unus in hoc, alio alter in loco se ad-
dicat: de quibus omnibus secum pru-
den-

A

den-

denter statuat oportet, qui graviter errare, decipique nolit. Nulla certe major, difficiliorque homini in vita obtingere potest deliberatio. Nam cui te semel statui adscripsisti, in eo vivere, morique debes; nec à Religione, quam professus es ad Ecclesiasticum aut secularem, nec à matrimonio ad ordinem alium abire licet: Sicut bene, vel malè initio delegisti, ita ferè bene, vel malè vita omnis decurrenda, morsque vitæ exactæ, atque æternitas mortis similis est tibi adeunda. Itaque facile intelligis in hac electione te de vitæ tuæ totius cursu, de morte, de æternitate omni, quæ majore ex parte cuncta hinc pendent, deliberare.

Non dico nullum eorum, qui aliquod vitæ genus imprudenter, & contra Divinam voluntatem amplexi sunt, esse salvandum: Sed paucissimos quietam, tranquillamque vitam vivere, paucos mortem conse-

qu

qui felicem certissimum credo: quos & conscientia propria reprehendit assidue; nec DEUS varijs casibus, periculisque vexatos auxilijs suis tam singularibus protegere solet; tanquam eos, qui vitam suam à Divinæ voluntatis gubernatione eximere, ac præ DEO sapere volentes, ipsi sibi vitæ statum ad libitum assumpserunt. Complurium certè salutem æternam ita à certo vitæ genere pendere, ut extra illud salvæ non sint futuri, doctrina Sanctorum Patrum minimè dubia est. Ecquid omnino ijs levius, ecquid esse possit insanius, qui temerè, neque ullâ seriâ deliberatione, ac vix ullâ animi præparatione adhibitâ, nulla Divinæ vocationis indicia habentes, se sive in Matrimonium, sive in aliud vivendi genus in perpetuum precipitant? aut statum illum quemcumque ipsis primum casus, & fortuna, vel Parentes sæpè filijs malè consulentes, aliique obtulère, illico arri-

A 2

piunt?

piunt? huiusmodi hominum gemitus, querelasque, electionem suam serò damnantium quotidie audimus, vitamque miserabilem videmus: atque utinam omnis eorum infelicitas vitæ istius finibus tantum concluderetur! Primum igitur illud fixum, ratumque esto documentum: hoc primum, hoc gravissimum in vita tua debere esse negotium; maturè prudentèrque deliberare, cum id tempus tuum exigat, ac dispicere; quemnam ex tot tamque variis vitæ statum eligas; in quo, & annorum tuorum spatia emetiri, & diem extremum obire, ac denique ad futuram æternamque vitam cum ita DEO visum fuerit commigrare quam optatissimè possis.

§. 2. *Vita statum, ut in Domino eligatur, à DEO esse exorandum.*

S Paulus Apostolus de muliere, quæ à viro suo ejusdem morte liberata est loquens, I. Cor. 7.

enā

cui vult, inquit, nubat, tantum in Domino. Attendite animis vestris penitus imprimate verbum hoc, quicunque de vitæ statu aliquo assumendo vobiscum cogitatis. Non est vobis à DEO vetitum Matrimonium; liberum est in Ecclesiasticum, liberum in Religiosum ordinem ingredi; tantum id unum providere; ut id in Domino faciatis: hoc est, ut ea in re non vestram propriam, non hominis ullius, sed Divinam voluntatem spectetis; non id, quò homines, vestèrque humanus appetitus, sed quò vos DEUS vocat, sequamini. *Domus, & divitia dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Proverb. 19. Quòd si hoc de uxore dicitur; quòd si ab ijs, qui conjugalem statum expetunt, qui minus, quam cæteri ex se perfectus est, & cum DEO, Divinisque rebus conjunctus, hoc requiritur; quanto magis dicendum est, à Domino debere nobis Ecclesiasticum.

cum, aut Religiosum aliquem ordinem assignari; & qui ei se adiungunt, id ipsis in Domino faciendum esse? potes quodcunque vis vitæ genus eligere, tantum in Domino. Hæc ante omnia, imò unica sit tua cura, ut DEUM in hac deliberatione Consiliarium, Magistrum, Ducem, DEUM non alium habeas. DEI enim verò est supremi Domini nostri, à quo vitam hanc habemus, ejus quoque modum omnem, sicut & tempus nobis præscribere: & cum in hac tam gravi, periculosâque electione, summa in eo, qui nos manuducit sapientia, rerumque futurarum scientia requiratur; manifestum est vel inde, à DEO, non ab alio debere nos, posseque in ea regi, atque edoceri.

Quare totò eò tempore, quò de hoc negotio deliberas, sive primis adolescentiæ, juventutisque tuæ annis, sive deinde cum ita res postulat, in id viribus omnibus incumbe,

ut DEUM vitæ innocentiam bonorumque operum exercitio, quam maxime potes propitium tibi, benivolentemque reddas; eum assidue orans, & obtestans, ut te in hac tanti ponderis causa adjuvare, illuminare, instrueretque de sua sancta voluntate, atque ad eam implendam confirmare dignetur: persta constans in hoc à DEO beneficio, precibus, omnique pietatis genere postulando, usque dum illud obtineas; dicens cum Sancto Augustino: *Jube Domine quod vis, & da quod vis ut faciam:* vel potius cum Propheta: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. Doce me facere voluntatem tuam; quia DEUS meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ps. 142. cum sapientissimo mortalium: *Da mihi sedium tuarum assistentem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Mitte illam de caelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua,*

ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Sap: 9. Cave aliquid committas, quò Divinam gratiam tibi hoc tempore tam necessariam amittas: aut certè si amissam putas, eam ocyùs recuperare stude, incrementisque quantis potes in dies augere; in omnem virtutis exercendæ, tuisque in rebus vel maximè arduis vincendi occasionem intentus: ut tanto DEI dono, quantum est vocationem ejus accipere, eam non amittere, eique tandem obsecundare, dignus efficiaris.

Duo autem potissimùm hunc in finem tibi commendo: primò Confessionis, Communionisque usum frequentem, ac religiosum. Si salutem tuam, DEIque gloriam seriò amas, certè tibi grave, aut multum esse non videbitur, quamdiu hoc à DEO donum petis, singulis si hebdomadis ad hæc sanctissima Sacramenta accedas. Sed nec tantùm in

eo,

eo, ut crebrò, quantum in eo velim elaborares, ut id perquam religiosè fiat: id est, cum magna cordis puritate, & præparatione, cum magno virtutum, sanctorumque animi affectuum comitatu, vel maximè post sumptum cibum Angelicum: quo tempore cuperem te aliquamdiu non ex libello, aut aliquas certas; sed eas, quas Divinus amor, Spiritusque S. tibi dictabit preces ad Christum in pectore tuo præsentem profundere; ibique cum per vulnera, per mortem suam sanctam, verbis in mente tua conceptis ardentissime obsecrare; ut ne te in agnoscenda, exequendaque sua sancta vocatione errare, deficerèque permittat. Secundò huic adjunge Angeli tui Custodis, Sanctorumque Patronorum, ac præ omnibus Cœlitum Reginæ, quæ ordinum omnium Christianorum singularis, maximaque Patrona est, DEI præ intercessionem: nihil post DEUM hac potentius, nihil

A 5

hil

hil pronius ad subveniendum: hæc compluribus quisnam ipsis vitæ status esset ineundus, clarâ etiam, cœlestique voce, significare dignata est. Hanc quotidianâ Coronæ Marianæ, vel etiam officij recitatione, aut alio constanti devotionis obsequio, atque omni, quod ei gratum fore putas studio, tibi prorsus obligare contende; ejus patrocinio, & electionem istam, & omnem vitæ tuæ rationem præcipuè committens: nec cessa prius supplicare, causamque tuam apud DEUM, DEIque Matrem modis omnibus urgere; quàm in eo, quem quæris portu, divinò favore constituare. Aderit procul dubio stella illa cœlestis illuminans, etsi fortè interdum tardiùs, modò his agendis perseveres; quæ te, & vocabit, & iter tuum eò perducet, ubi te DEUS vivere & mori, & unde ad præparatam tibi sempiternam beatitudinem transire destinavit.

Magnâ

Magnâ enim certò fide, magnâ in DEUM fiduciâ hæc à te devotio instituatur necesse est. Nam si DEUS optimus multos sæpè nihil minus cogitantes, si nonnullos fugientes etiam, resistentésque claris, mirandisque voluntatis lux significationibus vocat; quis credat, quòd ei, à quo tam constanter, fidelitèrque inquiritur, non sit se voluntatèrque suam manifestaturus? *Petite, & dabitur vobis, pulsate, & aperietur vobis.* Matth. 7. *Dico vobis omnia, quacunq; orantes petitis, credite, quia accipietis.* Marc. 11. Quarum DEI tam gravium promissionum certitudo, intelligitur à sacris scriptoribus eâ conditione; ut si res eas, quæ animæ nostræ salutis necessariæ, utilisque sunt petamus: quid autem hæc, de qua agimus gratiâ nobis magis necessarium esse potest? A Domino est uxor bona; à Domino est Ecclesiasticus, aut Religiosus status bonus: quilibet horum, sed non cuilibet; quilibet a-

A 6

licui,

licui, sed non quilibet tibi bonus est: Secularis nonnullis est salutaris, multis perniciosus; Religiosus item perniciosus nonnullis, permultis salutaris: quis tibi, quis alteri bonus sit; ille scit solus, qui te, & illum, quò bonus, beatusque sis æternum, creavit & gubernat: neque te is ad alium vocare velle potest, statum, quam quem scit bonum tibi futurum. Demum ut paucis omnia comprehendam: quò ardentior, quò constantior eris in Divina hac vocatione petenda, quærendaque; hoc minùs fallèris, hoc eam certius & intelliges, & assequèris.

§. 3. *Quibus considerationibus inquirenda, & exploranda Divina in hac electione voluntas?*

Petite, & dabitur vobis, quarite, & invenietis: dicit Salvator noster. Matth. 7. Non tantùm petenda à DEO, sed etiam quærenda est à nobis Divina hæc vocatio: id

id est: nobis quoque ipsis laborandum, ut eam cognoscere, invenireque possimus. Aliquos DEUS externâ, mirabilique voce, ac signis vocat: ut Paulum in campo Damasceno, plurèsque alios. Aliquibus per homines declarat voluntatem suam: posse enim, solerèque DEUM interdum svadente homine, nòsque ad statum aliquem amplectendum incitante nobis loqui, dubitandum non est: nec in hoc genere omnis omnino humana vox, sed ea tantùm, quæ purè humana est, nèq; DEUS per eam nos vocat, rejicienda est. Nonnullis præterea ab ipsa eorum Nativitate, primaque ætate ac educatione, certam vitæ rationem DEUS per homines, variòsque alios casus præfigit; in qua eos vult gloriam suam, salutemque æternam quærere: atque ita agere consuevit cum rusticis, rudibus, viliorisque sortis hominibus, ut integritate, sanitateque corpore is destitutus. Denique

nique communissimus vocationis
Divinæ modus est, infundere, inspi-
raréque cordi nostro amorem, &
desiderium singulare statûs alicujus;
ita, ut quasi quibusdam vocibus in-
ternis DEI ad cor nostrum loquen-
tis, sentiamus nos vocari ad illum:
tum quòd intellectus noster ita divi-
nitûs illustratur, ut ordinem talem
nobis aptissimum, & maximè juxta
Divinam voluntatem fore, ut in eum
adlegamur, intelligamus; tum quòd
etiam voluntas nostra ita afficitur, ut
in eo præ omnibus alijs ordinibus
acquiescamus.

Sed his ita constitutis diligenter
hoc nunc est notandum, & explican-
dum: primùm nonnullos queri,
quòd licet orent, Divinamque vo-
luntatem manifestari sibi magno stu-
dio efflagitent; nullo tamen dicta-
rum vocationum genere impelli se
ad certum aliquod vitæ genus adver-
tunt; ac proinde ignorare, tamen si
jam tempus id postulet, ecquam se
in

in partem vertere debeant. Deinde
evenire facillè posse, ut sive in primo,
sive in altero, tertio, quarto vocatio-
nis præfatæ modo, aliquis fallatur; &
cùm DEUM sibi loqui putet; ab ho-
mine, mundo carne, vel planè à Dæ-
mone impellatur. Quid igitur faci-
endam tum ei, qui nullam sentit, ad
inquirendam; tum ei, qui decipi non
vult ad explorandam Divinam voca-
tionem? hunc equidem ajo utrum-
que, & omnem eum, qui de tam
gravi re, qualis hæc est, deliberat,
ratione, intellectuque uti oportere;
& quidnam sibi faciendum sit, accu-
ratè consideratis omnibus, exami-
natisque perspicere: nunquam enim
minùs falli, Divinæque voluntati
conformari magis possumus; quàm
si quid agentes, eligentésque à ratio-
nis nostræ ductu minimè discedamus.
Idcirco ationis lumen nobis à DEO
impertitum; ut res divinas, & ea,
quæ ad salutem nostram attinent in-
vestigemus: quod dum facimus, ipse
se

se nostris conatibus DEUS immiscet, adjuvans ne erremus, facitque ut ipsi quid nobis expediat certò intelligamus: & hic solidissimus est modus Divinæ voluntatis investigandæ, ait Lessius *Disp. de vita statu eligendo*. Itaque vulgarissimum illud: *Quidquid agis prudenter agas, & respice finem*: hîc vel maximè locum habere debet. Sume tibi tempus aliquod, imò tempora plura; & quidquid Christiana prudentia ad electionem hanc dirigendam suggeret, tecum seriò meditare. Nihil quidem dari, aut cogitari posse credo, quod te ad id juvaret efficacius; quàm si exercitijs spiritualibus S. Patriarchæ Ignatij excoleris: sed quoniam vel animus, vel facultas fortè ea tibi non est, ut id, aut velis, aut possis; en ex iisdem subjicio duos hîc eligendi modos, quibus si tunc præsertim, cum tranquillo animo, nullâque pravâ cupiditate turbato fueris, aut etiam cum singularem de-

votio-

votionis in te sensum experière, sedulò, prudentèrque te, occupationibus alijs sepositis exercueris; polliceor futurum, ut animadvertas, & citra errorem clarè dispicias, quid te DEUS in deliberatione hac agere, eligerèrque velit.

Prior eligendi modus.

I. **I**n primis considera, illud esse omnino certum, nos homines omnes in hunc finem à DEO conditos, ut eum laudemus, & glorificemus, eique servientes salutem tandem animæ nostræ sempiternam consequamur: idèò unicè in hunc Mundum, atque in hanc vitam venimus; non verò ut edamus, bibamus, bonisque mundi hujus, cujus figura præterit adhærescamus: nèque aliis nobis præfigi à DEO finis poterat. Hoc & à Scriptura sacra, & ratione humana perspicuè docemur. Hinc porò manifestum evadit, ea tantum homini bona, adeòq; eligenda esse, quæ

quæ ad hunc finem conducunt; ea tantum mala & fugienda, quæ ab hoc fine nos avertunt. Atque hæc veritas omnibus æqualiter hominibus, secularibus juxta, ac Religiosis est conveniens: ex cujus unius vel ignoratione, vel neglectione, errores malæque mortalibus omnia eveniunt. Secundò, Positò hóc, propone jam menti tuæ ea singula inter quæ tua versatur electio: exempli causâ statum secularem, Ecclesiasticum, Religiosum, aut hunc vel illum Religiosum ordinem: & constitue te inter hæc in quodam quasi æquilibrio, quantum est ex te, à nullo horum abhorrentem; neque ad ullum ac præsertim ad statum secularem animo obfirmato non adhaerentem; sed paratum ad eam partem, quamcunque Divinæ gloriæ, salutisque tuæ aptiorem fore cognoveris. Oportet enim ut magno planè liberalique animo ad opus hujus electionis accedas; ad id te omne Creatori tuo, ad

ad quod is vocare voluerit, nullo excepto, offerens. Tertiò, Ora DEI clementiam, ut dignetur tibi adesse, mentemque instruere, ac voluntatem impellere, quocunque Divinæ Majestatis beneplacitum tulerit. Quarto, Perpende accuratè quot in isto statu, quot in illo commoda ad gloriam DEI, salutemque tuam quærendam habiturus sis; quot incommoda: ac demùm ponderatis omnibus, illud tibi optimum, illud eligendum esse statue; quod te ad hunc Creationis tuæ finem, à quo solo moveri debes, magis perducit. Quintò, Electione factâ redi statim ad orandum, offer illam DEO, ut is, si ei placeat, ratam habeat, stabiliatque.

Modus posterior eligendi.

I. **O**bserva diligenter, an omnis ille affectus tuus, quo statum, ordinemque hunc præ alio, autamas, aut averfariis, sit ortus ex amore DEI, & ex amore gloriæ Divinæ,

vinæ, salutisque animæ tuæ: si ita, res se bene habet: sin minus; at contra, si in ea re divitiarum, voluptatis corporalis, honorisque tui studio potissimum duci te advertis; affectum illum corrigendum, nec secundum illum quidquam tibi eligendum esse noveris. Secundò, Considera si quis tibi vir amicissimus, cui nihil non boni cuperes inesse, in hujusmodi dubio, in quo tu nunc versaris positus tibi occurreret; quidnam illi decernendum maxime esses consulturus: quod enim illi agendum suaderes, id tibi quoque faciendum existima. Tertio, Tecum insuper cogita, quando tibi moriendum erit, quam tunc cuperes in præsentì deliberatione partem à te fuisse electam: in quo enim statu mori tunc malles, eum nunc tibi capessendum facile intelligis. Quarto, Similiter quando in illo tribunali tremendo sistèris Christo Domino judicandus, quo te consilio hac in re usum esse velles: eo agni-

agnito nunc utere, ut ibi deinde majore cum fiducia, securitateque possis comparere. Atque has juxta regulas conclusam electionem DEO per orationem offer comprobendam.

Quis credat, si precationi, devotionique illi, de qua prius dixi, considerationes has ex Christianæ prudentiæ certa, intimaque disciplina depromptas junxeris; lumen tibi, quo DEI vocationem sufficienter intuearis, non affulsurum? eademque viâ veram DEI vocem à falsa, apparenteque, ne decipiare, non te distincturum? nam si omnis tua in statu aliquo deligendo intentio & voluntas, DEUM gloriâque ejus ac salutem animæ tuæ spectat; dubitare non debes, quin ea recta sit, atque à DEO profecta: adeò ut Theologi, eorumque Princeps S. Thomas Aquinas Opusc. 17. C. 10. doceat, religionis propositum, si quis animo recto renuntiare seculo, & Chri-

Christum imitari, servareque omnia, quæ religio præscribit desiderat, esse à DEO; undecunque demùm illud originem traxerit, etsi ab homine, vel etiam ab ipso dæmone suggestum fuerit. Quòd si autem intentio affectusque ille tuus, quamvis primo aspectu ad DEUM fortè videatur conversus; reverà tamen mundi hujus, Carnis, rerumque caducarum potius cupiditate regatur; non est is DEO Authori, mihi crede adscribendus. Nihil verò obesse, quin à DEO voceris, tradunt Doctores; quòd ex occasione mali alicujus, periculique temporalis, secularis vitæ vanitatem considerare, aspernarique cœperis; dicitur enim de nonnullis ad cœnam magnam vocandis: *compelle intrare, ut impleatur domus mea*: Luc. 14. vel quòd ad Religiosorum claustra nonnullarum etiam commoditatum temporalium amor te trahat; modò primarius, maximusque finis tuus sit is, prop-

propter quem creatus es, DEI gloria, animæque tuæ salus. Atque hoc etiam viri harum rerum intelligentissimi notant, ei, qui se ad Religiosum statum mundo relicto vocari sentit; non esse ita dubitandum, nec ita laborandum, ut vocem illam Divinam esse tot, ac tam certis, clarisque indicijs compertum habeat; uti ei, qui ad matrimonium, vitæque secularem impellitur: cum enim hoc vivendi genus multò sit & periculosius, minùsque perfectum, quàm illud; multò est ex se, credibilius, vocem eam, quæ ad Religionem pertinetque securiorem, quàm eam, quæ ad seculum invitat, à DEO promanare. Huic tamen verissimæ doctrinæ permulti cum maximo suo aliorumque detrimento adversantur: quando eos, qui ad Religiosum ordinem aspirant pluribus, variisque modis tentandos, ac mirè exercendos putant; ut experiantur utrùm divino, an humano, sinistroque

quo spiritu ducantur: eos è contrario, qui se addicunt seculo, nec verbo uno commonefaciunt, ut lumen cœleste implorantes, quid ipsis faciendum sit, secum ex æternis rationibus probè considerent. Tu si sapere vis, id tibi planè persuasum habe; hunc tam Christianum eligendi modum, nihilo ei magis, qui Religiosus, quàm ei, qui Ecclesiasticus, & illi, qui secularis fieri cupit, si errare gravissimè nolit, esse necessarium.

Ac si hoc mihi objicias, secundùm ea quæ dicta sunt neminem futurum, qui secularem vitam amplecti debeat; quare illa non omnibus hominum ordinibus, neque omni Divinæ vocationi convenire: respondeo tibi, si quæ allata sunt ab omnibus servarentur, fore quidem, ut longè plures, quàm nunc, sed non tamen omnes Religiosi esse cuperent; non enim omnium conditioni status ille, ut in se perfectissimus, condu-

cibi-

cibilis magis, idoneusq; est: omnes autem tum seculares, tum Religiosi vitæ statum in Domino assumerent; atque in eo pene omnes, majore longè cum animi quiete, majore cum perfectione viverent ac morentur. Sed ut tam sanctè, prudenterque, in hac tanta licèt deliberatione se gerant omnes; optandum est non sperandum: ex defectu certè talis electionis sunt, fueruntque semper, & inter Religiosos nonnulla, & inter Ecclesiasticos non pauca, & inter seculares, quàm plurima miserrimè viventium, morientiumq; exempla: Qui autem sapit, non id, quod communius fit, sed quod faciendum est sequitur.

Addo postremò, evenire fortasse posse, ut etiam his omnibus quæ diximus servatis, nondum aliquis statuere possit, inter duos sacros ordines uter sibi sit deligendus; ac proinde anceps hæreat, nec Divinam vocationem plenè intelligat: huic tali,

B

&

& Divina gratia esset omnino diutius, ardentiusque imploranda; & considerationes allatæ diligentius, sapiusque adhibendæ: vix enim fieri posse existimo, ut eo facto, utrum in hunc, an in illum statum puriore affectu propendat; in hoc an in illo finem creationis suæ facilius, perfectiusque assequi possit, non animadvertat: si tamen etiam post hæc, nondum quidquam queat statuere; viri alicujus prudentis, & probi arbitrio, posset deliberationem is suam committere. Legi non neminem servum DEI insignem, in ejusmodi dubitatione cum nihil aliud ipsi agendum suppeteret, oratione præmissâ, uti cum Mathia Apostolo actum, sortibus esse usum: id tamen rarissimo singularique cum cautela faciendum esset. Denique si nullo modo lo posses discernere prudenter, utram duarum Religiosarum familiarum eligas; si omnia utrobique tibi æqualia prorsus esse viderentur; cre-

crederem cuilibet earum te bene, atque in Domino nomen daturum.

§. 4. *Cum Viro aliquo prudentia virtutisque singularis conferendum hoc negotium.*

Neminem sibi solum sapientem esse, consiliūmq; ab alio minoribus etiam in rebus petendum esse, nimis quàm certum est. Atque in his potissimum, quæ ad nos ipsos spectant, prudentis planè est alieno magis, quàm suo fidere iudicio: propterea, quòd cæco quodam nostri amore, pravòque erga res nostras affectu decepti, facillimè prolixa in causa, in transversum agi solemus. Quantò autem hoc Juvenibus, atque adolescentibus, quales sunt ferè qui de vitæ statu deliberant, necessarium magis documentum sit, quàm cæteris, quis non videt? sed forsitan non tam id, quòd aliquis, quàm quisnam tibi adhuc benedus sit consiliarius, doceri cupis.

Primum ajo, eum, virum prudentiam, virtuteque insignem esse oportere: prudentiam quidem, ut deliberationem tuam regere, DEI vocacionem à mundi demonisque suggestionem internoscere, consilia tibi sanissima, aptissimaque dare sciat; virtute autem, ut id ipsum velit, atque ut nihil tibi ex humanis ac vanis, sed ex Divinis æternisque, uti in tanto negotio par est, rationibus proponat, ac suadeat: deinde necesse est, ut erga te, tuamque hanc electionem nullo is affectu sinistro sit præoccupatus: ut te non ad certum aliquem statum, ex alio quam ob quem creatus es sine, fortasse etiam reluctantem flectat; sed liberam tibi electionem omni relicta dirigat, ac manuducat eò, quò Divina voluntas vocare cernitur. Quà de causâ consilium hac in re à parentibus, & qui te sanguinis cognatione attingunt, ut ii viri probi sint, vix aliquando petendum aut accipiendum esse satis con-

constat: quis enim nescit, hos in vitæ tuæ statu id plerumque spectare; vel ne ab ijs ut avellaris, vel ut opes familiarumque suarum nomen per te conservent, & augeant: aut si fortè Ecclesiasticis, Religiosisque donatum te cupiunt; in eo quoque suas privatas utilitates, non DEI gloriam, salutemque tuam ab ipsis attendi? *Domus & divitiæ dantur à Parentibus; à Domino autem uxor prudens, aut alius aliquis status salutaris, & non à Parentibus.* Similiter non essent eorum sive Ecclesiasticorum, sive Religiosorum consilia audienda; qui præpostero sui multiplicandi studio incitati, humanis te argumentis ad se allicerent, impellerentque: modò in eorum numerum coopteris; utrum id in Domino fiat, an seculis, nîl pensi habentes: qui boni viri dum ordini suo gratificari, prodesseque cupiunt, nocent vehementer.

Quare sine hominis alicujus ductu

Et tu rem hanc transigere non debes; per homines enim, atque interdum etiam rudiores, quam ipsi simus, nos erudire, voluntatemque suam nobis indicare DEUS sapientissimus consuevit: id unice attende, ut talem hominem consulas; per quem DEUS tibi, nullus alius, & qui DEUM tibi, nihilque aliud loquatur. Salutis nostræ cupidissimus ille Dominus, qui fugientes se quærit, non ut quærentem fugiat; si tu non desis, nec hominem, nec aliud hac in causa quidquam deesse tibi patietur. Huic itaque Consiliario tuo desideria omnia, initia, progressus eorum, tentationes tuas, statimque animæ omnem fidenter aperi: multis nocuit hac in re verecundum, tardum, negligentem fuisse: is tibi hujus illiusque statûs commoda, incommodaque cuncta repræsentabit; electionem tuam monitis salutaribus reget; quid agere, quid omittere debeas, docebit; inimici laqueos,

ma-

machinasque deteget, atque ad eum superandum armis te validissimis instruet; pro te DEUM orabit: verbo, quod Ariadna Theseo fuisse à Poëtis fingitur; hoc ille tibi verè graviorèque in causa futurus est. Tandem ut quæ hæcenus dicta sunt, brevi omnia complectar; cum his tribus diligenter oro consulta: cum DEO, cum animo tuo, cum viro aliquo ad id idoneo; & quid tibi eligendum, quidve agendum sit, minime te præteribit; neque te electionis tuæ, sive in hac, sive in futura vita unquam pœnitebit.

§. 5. *Perspectâ Divinâ vocatione, in ea sequenda, quam fortes, & constantes esse debeamus?*

Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2. dicebant Magi illi, primi ex gentibus vocati, primi que ad Christum advenientes: felices quòd viderunt; sed multò felicio-

B 4

res,

res, quòd laboribus periculisque tantis contemptis venerunt: & quia fortes constantesque erant in veniendo; ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Quid profuisset vidisse stellam, si vidissent, & non venissent? imò obfuisse plurimùm. Quid prodest vocem DEI vocantis audire, nec ei morem gerere? imò nimium quantum nocet. Credo fieri quidem posse, ut peccato gravi per se ex eo obnoxius non sis, quòd DEO ad statum aliquem, etiam Religiosum invitanti non obtemperas; consilium enim est id DEI, non præceptum: sed mihi tamen etiam indubitatum est, majus inde animæ tuæ periculum posse creari, quàm ex multis, gravibusque peccatis. Nam etsi ob id duntaxat DEUS te condemnaturus non sit; gratias tamen suas singulares, quas nulli dare tenetur, ac talibus communiter negare solere dicitur,

ciur, tibi quoque fortasse eam ob causam est negaturus: sine quibus gratijs salvari quidem poteris, sed non salvaberis; perseverare in bono poteris, sed non perseverabis; peccabis, & quod est omnium infelicissimum, in peccato tuo morieris. Quomodo enim specialia DEI auxilia, & quæ inter ea princeps est, finalem gratiam mereretur ille, qui tantum DEI beneficium contempnitupiter; quantum est vocari ab ipso, ad illud vel maxime beatissimum vitæ genus, de quo mellifluus Bernardus: *Nonne hæc est inquit Religio sancta, pura, & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit varius, surgit velocius, incedit cautiùs, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius?* Si te in numerum suorum ex millibus electorum DEUS misericordissimus adlectum cupit, multisque vocat modis; & tu ire abnuas; quàm metuo, ne olim in die

Judicij audire cogaris illud, Prover.
 1. *quia vocavi, & renuistis, extendi
 manum meam, & non fuit, qui aspice-
 ret, despexistis omne consilium meum,
 & increpationes meas neglexistis; ego
 quoque in interitu vestro ridebo, &
 subsannabo cum vobis id, quod time-
 batis advenerit.* Nihil hic de illis di-
 co, qui metuentes ne à DEO ad sa-
 crum fortè aliquem ordinem inviten-
 tur, DEUM ipsum divinâque omnia
 rebus fluxis addicti, ex industria fu-
 giunt, fugerêque à Parentibus inter-
 dum docentur: qui mortalium insa-
 nissimi, quod quærunt facilè inve-
 niunt: *longè enim est Dominus ab
 impiis.* Prov. 15. Taceo & de illis, qui
 fatentur, DEUM quidem aliquando
 ad cor ipsorum pulsâsse, sed muta-
 tâ mente inde jam recessisse, voca-
 tionemque ejus evanuisse. Quid si
 mi bone, non DEI circa te consili-
 um, sed tuus erga DEUM animus
 est immutatus? quid si is à te pelli-
 tur? à te fores ei aurêque obturan-
 tur?

tur? libenter fortasse rediret, si vul-
 tum ei non tergum obverteres. Di-
 sce oro, quisquis vocationē DEI sper-
 nere, aut negligere minùs abhorres;
 disce, tot aliorum calamitosissimis
 exemplis; ut ne tu quoque inter illa
 aliquando recenseare.

Suadeo igitur, quærendum po-
 tiùs quàm DEUM à te repellendum
 putes: suadeo si vocem ejusmodi
 cœlestem exaudis, in Divina volun-
 tate exequenda sis fortis, & con-
 stans: fortis, quia quamprimùm à
 mundi castris ad Christum transire
 meditaris, erunt continuò adversarij
 tui multi. Opponent se primi forsi-
 tan, qui tibi sunt amicissimi, Paren-
 tes, Consanguinei, Socij, & cuncti
 necessarij tui: cum his quò chario-
 res, eò pugna difficilior; DEUS ni-
 hilominus, & anima tua tibi charior
 omnibus esse debet: honorandi, &
 audiendi parentes, sed eatenùs, qua-
 tenùs honor, & obedientia DEO
 præstanda permittit; colendi, sed in-
 fra

fra DEUM: qui enim amat inquit Patrem, aut Matrem plus, quam me, non est me dignus. Matth. 10. Scires utique parentes tuos, si contra omne jus, & rationem te illi à matrimonio nobilissimo, ab aditu hæreditatis opimæ, à munere publico splendido, utilissimoque repellerent; scires inquam si liberum tibi esset, contemnere, néque curare: cur si contra omne jus & rationem à cælo, à DEO inimicæque cum eo familiaritate abstractum te cupiunt, eos cum potes, non contemnes? sint ergo illi vel precibus primùm, artibusque alijs, quas DEUS, Angelusque ejus tibi suggeret, ad vota tua inclinandi; iis enim assentientibus, benèque precantibus præstat semper, si queat, hoc à te negotium confici: vel si id fieri nequeat, imitandi tibi plurimi juvenes sanctissimi, qui maxima quæquæ hoc in genere, Deo duce exantlarunt; voce illâ Hieronymi ad Heliodorum gravissimâ,
aut

aut aliâ simili excitati: licet parvulus ait is, ex collo pendeat nepos, licet sparsa crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine Pater jaceat; per calcatum perge Patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Nec fortè deerunt, & quidem viri graves, vitæque sanctitatem professi, qui vocationis tuæ executionem differendam, réque ut nondum ei maturum diutius probandum judicabunt: sed ei, quem DEUS ex Ægypto hodie in terram Chanaan invitat, ut quid est crastinus expectandus dies? qui, & an omnino, & qualisnam sit futurus incertum est: bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua. Jerem. Th. en. 3. Ante omnes autem hos Diabolus ut te Christo eripiat, nihil intentatum relinquet; quidquid à mundo, & carne armorum habere potest, contra te vibrabit. unde & te, eoque potissimum

simum tempore, quò jam propior es votis tuis, quò Religiosam domum ingredi paras, quò in via es, limenque sacrum salutas, decet esse summopere attentum, ab omni peccandi occasione semotum, DEO tuo cui uni, tamque arctè jungi incipis, complacere in omnibus studentem: neque imitare illos juvenum amentissimos, qui eà occasione tanquam mundo valedicentes, genio suo, cupidatibusque pravis habenas laxandas putant: quid si eveniret, contigisse enim scio, ut nocte illà quà te gaudijs mundi, ultimùm oblectare velles; non secularem tantum, sed vitam omnem cum scelere finire, naufragium in portu æternùm deplorandum faciens? ut cum te ad Religionem, quæ cælum terrestre est, ab ea nocte transiturum sperares; ad infernum, suppliciaque æterna raperere? Lege obsecro Tobia cum Sara conjugium Tobia Cap. 6. 7. 8. 9. ac si matrimonium nuptiaque

tam

tam sanctè celebrandæ sunt, quàm illic describitur, præcipiturque; quid de ingressu in Religionem, in qua anima cum Christo connubio æterno copulatur, dicendum sit, vide.

Atque hac ratione pugnandum tibi pro vocatione DEI fortiter contra omnes adversarios tuos; sed & constanter: nam constantiâ suâ multi parentes, cæterosque per quos voto potiri vetabantur expugnârunt; quos flectere nullâ vi aliâ potuissent. Obstacles ipse nonnunquam DEUS immittit, atque immitti finit; ut constantiam experiatur, ac vocationem tuam pretiosorem tibi chariorèmq; efficiat: meretur sanè illa, ut præ gaudio illius vadas, & vendas universa, quæ habes, & emas illam: meretur, ut accendas lucernam, & everras domum, & quæras diligenter ipsam, donec invenias: meretur ut agas, & patiare, illius consequendæ causâ, quidquid potes.

§.6.

§. 6. *Quid ei agendum, qui ab eo statu ad quem se à DEO vocari sentit, videt repelli?*

Sunt nonnulli, qui vocationem Divinam & agnoscunt, & sequi cupiunt; sed ab ea assequenda impedimentis variis, quæ amoliri non possint, arcentur: sacrum quempiam ordinem, ad quem se à DEO vocari ajunt, non unâ vice, ardentèrque exposcunt; nec ad eum admittuntur: quò igitur hi infortunati se vertant? Hos imprimis moneo, si verè Divinâ vocatione agantur, ne statim semel, iterùmque repulsam passi animum abjiciant; uno, alteroque impedimento rejecti, ne continuo desperent; constantia multarum victoriarum mater est: expectare, pulsare non erubescant sapius, diutiusque: pulsent autem, supplicentque non tantùm apud homines, sed multò magis apud DEUM, cujus in manu sunt corda hominum: qui dedit ut velis, æquè facile dare potest,
ut

ut id quod vis consequaris; à DEO non ab alio vocaris, ab eo quoque non ab alio potes, debésque. quò tendis admitti. Dic quod ille, & experieris idem quod ille: *In te Domine speravi non confundar in eternum.* Ps. 70. O si scires quàm DEUS ad te si id tibi expediat, audiendum juvandùmque sit promptus & facilis! At quamdiu pulsandum, & expectandum quæris? si verè vocari te à DEO tentis, pluribus etiam annis pulsa; quamdiu spes aliqua esse potest, januæ tandem aliquando aperiendæ. Jacob pro Rachel filia Laban septem ei annis servire non erubuit; exactisque illis voto suo frustratus, & in loco Rachel Liam obtinens, non tamen reliquit Rachel *decoram facie, & venusto aspectu*, sed expectavit, servivitque pro ea septem alijis annis: & videbantur illi pauci dies pro amoris magnitudine. Gene- sis 29.

At

At inquis, quid si spes omnino nulla se ostendat, voti unquam obtinendi? tunc ajo, si id culpâ tuâ aliquâ factum sit, eam lacrymis, operibusque pœnitentiæ dilue; ac ne ea res aliquando salutis animæ tuæ fraudi sit, DEUM ardentem instantemque deprecare: si autem nullo id peccato tuo accidit; crede DEUM ostendere tantum vocationem eam, non autem dare tibi voluisse: crede aliò te ab eo esse destinatum: ut ut sit, liber es à proseguendo ulterius illo tuo desiderio; necessarium tibi est præcisâ illic spe omni, de alio vitæ genere capessendo cogitare: deliberare, eligereque de novo, auxilium Divinum invocare, considerationes ac reliqua, quæ hætenus dicta sunt, de novo resumere: confide in DEO; is de te statua. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? &c. Hæc omnia operatur unus*

nus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. I. Cor. 12.

§. 7. *Is, qui se certo vitæ generi male eligens obligavit, quid remedium habeat?*

Feri potest, ut in aliquod vitæ genus jam cooptatus, in eo adhuc sis statu; ut pedem referre, atque aliò possis converti: huiusmodi sunt illi, qui in vitæ Religiosæ tyrocinio versantur, vel qui Ordinibus Ecclesiæ minoribus susceptis, nondum ullo majore sunt initiati: si te sic constitutum electionis tuæ pœniteat, eaque vitiosa fuisse tibi fortè videatur; noli quæso ab arrepto vitæ proposito confestim discedere: audi quid Apostolus Joannes dicat: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex DEO sint. I. Joan. 4. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno DEI. Luc. 9. at imprudenter inquis, & vana ex causa aratrum*

trum arripui : quid si imprudentius, ac vanius deseres? examina, ponderaque bene affectus, intentionesque cordis tui omnes, quibus tunc agebaris, & quæ te nunc in contrarium impellunt. Ab homine ingressus es, nullumque salutarem in ingressu finem habuisti? dabo tibi ita esse: periculosa tamen, & raro admodum bona est, statûs à sacro, & Religioso ad secularem, profanumque transmutatio: gratiam DEI implora, teque sanctis in meditationibus, operibusque exerce; quid si misericordissimus DEUS ab homine allectum, humanisque ex causis permisit te in Religionem venire; ut in ea prius vocaret, confirmaretque? ut sine intentione commotâ, sanctè in ea meliusque quam intraveras perseverares? id enim pluribus accidisse, in comperto est. Quod si porro ijs omnibus, quæ facienda erant adhibitis, ordinem illum nihilominus, quem ingressus es periculosum, neque


neque ut in eo persistas, ex Divino beneplacito futurum, & ipse videas, & alij viri à virtute, doctrinæque comendatissimi id iudicent; abire tibi ab eo fas est, expeditque, tantum in Domino: præstat à periculo dum adhuc integrum est pedem revocare, quam in eo perire; à malè cœptis abstinere, quam ea pejùs consummare: melius omnino est DEO volente in seculo, quam nolente in sacerdotio, aut clauastro vivere: quod malè elegisti, si emendare non potes, rumpe dum licet ac rescinde.

Sed quid si jam matrimonio, aut sacro ordini alligatus, electionem malam revocare nullo modo queas? hoc verò est, quod multis lacrymas totius vitæ, easque amarissimas, atque utinam non sempiternas, extorquet: Quid tibi agendum? Crux magna, mala uxor, sacerdotium, Religio, invito ad mortem usque ferenda: doleo vicem tuam; vitam enim omnem acerbam tibi futuram
ani-

animadverto, ac ne longè acerbior sequatur timeo vehementer: ergo desperandum? minimè. Animum erige, nullus est in hac vita homo, cui juvando Divina potentia misericordiâque desit; qui salvus esse, ac sanctus, lætusque vivere si velit nequeat: melius est quidem non ægrota- re, quàm morbo medicinam quæ- rere; si morbus tamen etiam medi- cabilis sit, salus non est desperata. Est itaq; aliquod etiâ malo tuo reme- dium: quod illud? hoc unicum: cru- cem tuam, etsi eam ipse, impruden- terque collo tuo imposueris, fer pa- tienter; statui in quo es, & esse jam debes, te tuosque mores accommo- da, non illum tibi, tuisque pravis cupiditatibus: si contra DEI volun- tatem in eum te intrusisti; vive sal- tèm in eo, perseverâque juxta DEI voluntatem: hoc si nolis, consilium tibi dare nullum scio: si velis, initio quidem durum, & intolerabile vide- bitur; sed sensim mollius, imò fa- cile

cile evadet: jugum sub quo gemis, si libenter, & pro peccatis tuis por- taveris; erit jugum Christi, hoc est suave: neque tu illud, sed DEUS te- cum portabit. Hoc solo modo, & vitam futuram beatam, & præsen- tem latiore habere potes. Unum adhuc id te admoneo, si antequam in hos tam difficiles vitæ laqueos inci- disses, ad aliquem te sacrum ordinem DEUS vocavit, sed sanctam ejus vocationem contempsisti; culpam illam tuam deslere nunquam cessa: non cessa orare DEUM, ut parcere tibi dignetur, pœnisque potius tem- poralibus castigare; quàm gratiæ suæ donis illis privare, sine quibus salvus non es futurus.

Ad extremum, si malè elegisti, no- lo desperes; sed cum metu & tre- more operare salutem tuam: si au- tem nondum elegisti, ut juxta eum modum, quem breviter descripsi
eli-



eligas, ne hoc ultimo documento
meo uti miser cogare; te per DEI
animaque tuæ amorem, etiam
atque etiam obte-
stor.

F I N I S.

